

LECTIONES LATINAE.

PA 6141
.B3
Copy 1

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN ACADEMIA

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

PVBlice DEFENDET

D. XXIX. MENS. IVL. A. MDCCCLXX HORA XI.

Emil
AEMILIVS BAEHRENS

COLONIENSIS.

39

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:


ADALBERTVS BARTELHEIM, STVD. IVR.

NICOLAVS HELL. PHILOS. DR.

AEMILIVS HERMES, CAND. PHILOL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.



[1870]

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

1952

RESEARCH REPORT

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

PAG 141
B3

LUCIANO · MVELLERO

SACRVM

Cum totus uersarer in emaculandis eis rerum Romanarum auctoribus quos iure omnium sordium thesaurum uocites locupletissimum, scriptores dico historiae Augustae, uellemque de eis commentationem emittere: ecce quaestiones et numero et grauitate sat amplae abortae sunt, spectantes illae ad Caesarum Romanorum cum inscriptiones tum nummos. itaque quoniam per proximam hiemem et ualetudine aduersissima et temporis nimiis angustiis premebar, ad ingratum titulorum nummorumque collectiones uoluendi laborem accingi tum quidem non sustinuit animus citoque prius abiecit consilium. interim cum ad inpetrandos summos in philosophia honores specimen studiorum meorum esset exhibendum, placuit ex emendationibus in uarios scriptores latinos partim iam olim in schedulas coniectis partim nuperrime excogitatis selegere eas quas, utpote magnam partem summorum quorundam in philologia uirorum plausu non destitutas, luce et conspectu hominum haud indignas putabam.

I. Iulium Florum historicum nuper Otto Iahnus plane diuersum ab eo qui antea legebatur ope libri praestantissimi Bambergensis edidit. licet autem uir ille doctissimus plurima menda ex suis amicorumue coniecturis felicissime sanauerit, tamen haud pauca restant quae ut auxilium sibi feratur expectant. quorum nonnulla fortasse meis uiribus tollere ualeo.

lib. I, 4 [p. 13, 13 ed. Iahn.]: 'tunc illa ni Romani nominis prodigia atque miracula, Horatius Mucius Cloelia, qui nisi in annalibus forent, hodie fabulae uiderentur'.

Prima huius enuntiati uerba ita codex Bambergensis tradit 'tunc illa *in* R. n.', in quibus 'in' corruptelam traxisse liquet. neque tamen est quod integram uoculam nulli ditto-

graphiae suspicioni obnoxiam Nazariani libri auctoritati obsecuti eiciamus. atque Iahnus quidem ea iudicii subtilitate atque elegancia quam omnes in eo admirati sumus, quid fere sententia postulet necessario, optime intellexit; nempe Flori ingenio apprime hoc conuenire, ut Romani prae gentibus ceteris uirtutis illis exemplis floruisse dicantur. itaque scripsit ille ‘tunc illa *ni* Romani nominis prodigia’. at talis ‘ni’ particulae usus uereor ut exemplo stabiliri possit ullo. errauit igitur Iahnus utpote homo in ipsa loci emendatione, at in uia ab eodem indicata nauiter insistendum indeque unicam Flori uerbis salutem sperandam esse equidem acriter contenderim. nam aliorum uirorum doctorum, ueluti Halmii ‘illa *inmania* R. n.’ uel Spengelii [Abhandl. d. bayr. Acad. d. W. I. Classe IX. B. II. Abth. p. 321] ‘in Romanis nominibus’ conicientium, commentis refutandis tuto nobis supersedere licet. est autem scribendum ‘tunc illa *en* Romani nominis prodigia’. hac enim ratione effici ut heroes illi utpote Romanae gentis proprii cum ictu quodam efferantur in propatulo est.

I, 13 [p. 23, 18] ‘Lucaniae suprema pugna sub Arusinis quos uocant campis, ducibus isdem, quibus superius’.

Magnopere se torsit Iahnus ut mirificum illud ‘sub Arusinis campis’ explicaret, cum bene intellegeret idem, nullo pacto ita latine posse dici. et emendandi quidem conatus uereor ne ad inritum cadant omnes. ueluti quod Mommsenus coniecit ‘pugna *fuit* Arusinis campis’ quidnam in se ab arte palaeographica habet praesidii? nec uero ‘fuit’ uocem desiderari, unaquaqueque scriptoris nostri tales ellipses ualde adamantis pagina te docere potest. sed ecce iterum mirum illud ‘sy’ in uerbis hisce [p. 51, 26]: ‘nam et aeris notam pretiosorem ipsa opulentissimae urbis fecit *sy*iniuria’, ubi N. propius ad uerum ‘iniuria’ praebet. et Iahnus quidem, ut iam dixi, quomodo haec enuclearet se nescire ingenue professus est; cf. eius praef. p. XXXI. mihi diu ac multum rem perpendenti tandem adeo simplex ueritatis ratio appa-

ruit, ut ipse mirarer nec perspicerem, quomodo tam facilia expeditu et paene ante pedes sita tam diu et alios et me fugere possent. nempe utroque loco dittographiae uitium subest. et priore quidem loco haec in archetypo scripta erant :

Arusinis quos uocant campis ducibus isdem quibus
superius

altero uero haec :

iniuria quia incendio permixtis plurimis statuibus atque
simulacris

Utroque loco is qui archetypum descripsit primo priore linea omissa alterius primas litteras scripsit, deinde animaduerso errore ad priorem reuersus eas quas iam praue depinxerat litteras neglexit expungere. postea uero ex illo 'sup' factum est id quod falso in N. I. legitur 'sub'. nam quod B. 'syb' et altero loco 'sy' exhibet, id ex peruolgatissima y, u, i litterarum confusione est repetendum. scripsit igitur Florus 'Lucaniae suprema pugna Arusinis quos uocant campis'. de omissa particula 'in' cf. praeter loca ab Halmio ad h. l. adlata I, 3 'contione media uirgis cecidit'; I, 18 'cum praedae omnibus promunturiis insulisque fluitarent'; I, 39 'media Armenia'; II, 13 'Pelusio litore'.

I, 17 [p. 26, 12]: 'Haec est secunda aetas populi Romani et quasi adulescentia, qua maxime uiruit et quodam flore uirtutis exarsit ac ferbuit. itaque inerat quaedam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam adhuc spirabat indomitum'.

Iamdudum uiri docti hoc loco offenderunt; at quae illis [cf. Halmium in praef. ad h. l.] dubitationis causa fuit duplicata uox 'adhuc' me plane non sollicitat. nam praeterquam quod hoc loco Florus cum quadam ui rhetorica ita scripsisse potest uideri, iam satis constat eum in talibus uerborum repetitionibus neglegentissimum esse. ex ingenti exemplorum numero haec duo adposuisse sufficit: I, 17 [p. 28, 15] 'talis pace belloque populus Romanus *fretum* illud adulescentiae . . . habuit, in qua totam inter Alpes *fretumque* Italiam armis subegit' et I, 18 [p. 29, 6] 'armis *belloque*

iungenda et ad continentem suam reuocanda *bello* uideretur'. itaque in hac re non magis haerendum erat quam in subiecti quod uocant mutatione in uerbis 'inerat' et 'spirabat', quare nihil apud Florum frequentius est. at plane uitiosa est alterius enuntiationis cum priore per particulam 'itaque' copulatio. nam quomodo ex eo quod populus Romanus quodam flore uirtutis exarserit, iam consequatur illi adhuc ex pastoribus fuisse feritatem, equidem mente omnino non assequor. nam, nisi fallor, talis sententiarum inter se conexus esse debet: 'quanquam p. R. uirtutis quodam flore exarsit, tamen feritas ei adhuc inerat'. itaque scriptor, siquidem recte procedentem facere uoluit orationem, sic edidit: '**atquin** inerat quaedam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam adhuc spirabat indomitum'. notum est, Alfredum nuper Fleckeisenum in libello plane egregio sic inscripto 'kritische Miscellen' inde a p. 23—28 conpluribus exemplis demonstrasse uocularum 'atque' et 'atqui' frequentem inter se commutationem, quae tum praecipue usu ueniat, si insequens uocabulum a littera 'i' incipiat. unde originem uitii uir acutissimus perbene demonstrauit, scilicet antiquitus scriptum fuisse 'atquei'. nos quominus eadem emendationi nostrae fulcra ex parte suggeramus, constanti Flori codicum 'atquin' uel 'adquin' scriptura prohibemur; cf. Iahnii praefat. p. XXXII. itaque aliter neque tamen minus, ut confido, probabiliter mendum nobis est explicandum. uocem autem 'atquin' uideas duplicem quandam corruptelam esse passam: nam ut syllaba 'it' ex praecedenti uocula 'ferbuit' praue in initio adhaesit, ita litterae finales 'in' propter easdem uerbi sequentis 'inerat' sunt omissae. quo facto pronum erat ut quae ita efficerentur litterae 'itatqu' in 'itaque' corrigerentur.

I, 17 [p. 26, 25] Florus, postquam nobilissimos aliquot duces plebis uoluntati aduersatos ideoque exilio multatos enumerauit, haec habet de Camillo:

'sed hic melior uis in capta urbe consenuit et mox supplices de hoste Gallo uindicauit'.

Ita fere liber Bambergensis. de singulari 'consenescere' uerbi significatione et de errore qui subest historico conferas uelim uiros doctos a Dukero ad h. l. laudatos; mihi nunc res est cum uoce procul dubio corrupta 'uis'. sed ut ad tempus illud uerbi monstrum mittamus: ad uocem 'melior' uulgo subintellegunt 'quam Coriolanus'. quae quidem interpretatio quantopere claudicet quiuis uidet. quid enim? omninone Camillus uir melior fuit quam Coriolanus? non affirmauerim equidem. nimirum non in uniuersum praeclentem fuisse Camillum, sed quanam a parte meliorem idem sese praestiterit, necessario Floro dicendum erat, cum 'melior' uoci tam ampla tamque uaga insit notio, ut certi inde quod quidem ad locum nostrum attineat prorsus nihil eruere possimus. erat autem Camillus laude sane dignissimus quod patriae extitit amantior quam Coriolanus, quod ciuis ciuibus arma non intulit. tale quid, ni fallor, Floro ob mentem uersabatur scribenti. neque hoc diuini uirum ingenii Mommseum fugit, si recte intellego coniecturam eius a Iahnio receptam 'humilior'. quae tamen coniectura, praeterquam quod aliquam multum a librorum memoria recedit, ob id displicet quod habet quod christianum magis quam gentilem redoleat scriptorem. ex corrupto autem illo 'uis' Seebodius Salmasium cum maxime secutus facillima sane emendatione effecit 'Ueis'. sed cum paulo ante ['Ueientem praedam'] urbis in qua Camillus exulabat nomen legatur, neminem credo esse quin 'captam' illam 'urbem' scilicet Ueios esse perspiciat. quapropter ita ego locum emendo: 'sed hic melior **ciuis** in capta urbe consenuit'. uno uerbo monendum est de Bambergensis lectione '*haec* melior uis'. nempe cum 'ciuis' corruptum esset in 'uis', librarius, ut genus constaret, pro 'hic' reposuit '*haec*'; cf. Iahnii praef. p. XVIII.

I, 18 [p. 30, 8]: 'prae tanta huius uictoria leue damnum fuit alter consulum interceptus Asina Cornelius, qui, simulato colloquio euocatus atque ita oppressus, fuit perfidiae Punicae documentum'.

Optimi libri B. I. ita exhibent absone 'prae tanta uictoria leue huius proelii damnum fuit', unde Iahnus eam quam supra posuimus scripturam elicuit. quam tamen lectionem quominus amplectamur, id, puto, uetat quod quonam modo illud 'proelii' in textum irrepserit minime patet. nam glossematis suspicio adest nulla. itaque tu locum turbatum sic mecum restitue: 'prae tanta *huius proelii* uictoria leue damnum fuit alter consul interceptus'.

I, 35 [p. 58, 21]: 'agrorum atque uicorum populatione nec contentus in ipsa Numidiae capita impetum fecit; et Zamam quidem frustra adiuit, ceterum Thalam, grauem armis thesaurisque regiis [ita Halmius: 'regis' codd.] diripuit'.

Pro 'adiuit', quod Iahnus coniecit, B. 'diuoluit', N. 'diu uoluit' praebent. sed 'adiuit' et a traditis litteris minus commendatur et paulo frigidius positum est a scriptore ceteroquin in translationibus audacissimo. neque uero Schefferus et Maehlyus quidquam in loci emendatione profecisse mihi uidentur coniciendo 'frustra *tradi* uoluit'. nam etsi multa sane mirabilia et a sana ratione paulo recedentia Florus habet, tamen tam paene inepta ei non tribuerim. unice autem, si quid uideo, adoriendi notio hic apta est. uide igitur an scribendum sit: 'et Zamam quidem frustra **aduolauit**'. quamquam enim infitias non eo, nondum ut huius uocabuli ita translate usurpati exemplum inuenirem mihi contigisse, tamen similitudinem habes in uoce 'inuolare' apud Tacitum [hist. IV, 33] 'adeoque inprouisi castra inuolauere'.

II, 3 [p. 80, 19] 'qui (C. Gracchus) cum pari tumultu atque terrore plebem in auitos agros arcesseret et recentem Attali hereditatem in alimenta populo polliceretur, iamque nimius et inpotens altero tribunatu secunda plebe uoligaret . . . Capitolium inuasit'.

Codices 'iamque nimius et potens' tradunt. at recte Nicolaus Heinsius intellexit post 'nimius' illud 'potens' mirum quantum languere coniecitque 'inpotens', de superbia, qua

C. Gracchus secunda fortuna inflatus esset, agi ratus. sed quoniam neque 'm' littera, unde 'in' syllaba hausta sit, praecedit et maiore fortasse iure nos haec uerba de nimia qua ille florebat *potentia* intellegimus, nescio an sit emendandum: 'iamque nimius et *praepotens* . . . uolitaret'. nam facillime 'p̄' ante 'potens' intercidit.

II, 5 [p. 84, 14] 'his ut motibus resisteret, Drusus plebem ad se Gracchanis legibus isdemque socios ad plebem spe ciuitatis erexit'.

Ita codices omnes. uoculam 'erexit' si demonstrare uellem minime hic locum habere, acta ut aiunt agere mihi uiderer. atque Iahnus Freinsheimii coniecturam 'traxit' in textum recepit. quod si in ipsis libris mss. legeretur, sane in hac lectione adquiescendum esset, quippe quae sensum praebeat optimum. sed mihi quidem propius ad uerisimilitudinem accedere uidetur, Florum non 'traxit' sed 'pellexit' scripsisse, quippe quod uerbum et traditas litteras melius repraesentet et tali in re usitatissimum sit; cf. ex. gr. Taciti ann. I, 12 'cunctos dulcedine otii pellexit', ibid. XI, 19 'qui maiores Chauco ad deditionem pellicerent'. aliud mendum, quod miror neminem adhuc animaduertisse, in 'isdem' uoce latet. cum enim aperte C. Gracchi de ciuitate Italicis danda lex dicatur, additum illud 'spe ciuitatis' et a latinitate prauissime se habet et a sententia plane *ταυτολογεῖ*. nam ut ipsa illa lex sociis spem ciuitatis fecit, ita scriptoris uel maxime balbutientis est tale 'Drusus lege Gracchana spe ciuitatis socios pellexit'. debuit saltem 'scilicet spe ciuitatis' uel simile quid scribi, quo ratio illius legis redderetur. unde fortasse suspicere, uerba 'spe ciuitatis' a monacho quodam uana eruditionis ostentatione esse adiecta. quam tamen opinionem dum sequeris, caue ne turpiter fallaris. nam ut omittam in Flori crisi arduum ac periculosum esse glossemata statuere, illud multo mihi grauius uidetur quod ne ita quidem cardo difficultatis euertitur. nam incongruum est, Florum, qui antea ne uerbo quidem hanc Gracchi legem

attigerit, subito de ea tamquam nota lectoribus tritaque re facere uerba. his tot tantisque difficultatibus obuiam itur, ni fallor, hac emendatione: 'his ut motibus resisteret, Drusus plebem ad se Gracchanis legibus **idemque** socios ad plebem spe ciuitatis **pellexit**.

II, 13 [p. 100. 16]: 'aderat puellae forma, et quae duplicaretur ex illo quod talis passa uidebatur iniuriam, odium ipsius regis, qui Pompei necem partium fato, non Caesari dederat, haud dubie idem in ipsum ausurus, si fuisset occasio'.

In hac sententia duae res offendunt. nam primum forma puellae non potest ex eo augeri quod talis, id est, tam formosa iniuriam erat passa. non enim forma iniuriae, sed iniuria quodammodo formae adminiculis innititur. scilicet potest ea iniuria maior uideri quae spectatae pulchritudinis feminae inferatur. deinde uero ἀσύνδετον hoc loco uix tolerari posse Perizonio concedendum est. uariae tamen quas idem finxit coniecturae magno uiro condonandae sunt; cf. Dukerum ad. h. l. nam ut unum eius commentum proferam, quid uoculam 'et' ante 'quae' delere, inserere post 'iniuriam' iuuat? tali remedio prius ulcus nihil sanatur. quod ad ἀσύνδετον attinet, iam Freinshemius olim intellexerat, post 'iniuriam' desiderari 'tum' uel 'iam', cum Florus dicat Cleopatrae patrocinio fuisse formam, iniuriam, tum odium regis. nam iniuriam miserationem et inde fauorem interdum hominibus conciliare, ipsum Florum adfirmare II, 15 'Caesar et aetate et iniuria fauorabilis'; cf. etiam Taciti ann. 3,75 'Labeoni commendatio ex iniuria'. uides, credo, Freinshemium iam uerum quasi per nubilum perspexisse. nam Florus si scripsit Cleopatrae adfuisse formam et iniuriam et Caesaris in fratrem odium, non erat profecto cur nugarum crimine accusaretur. at ut nunc uerba eius leguntur, durissime, ut iam Dukerus recte statuit, ad uerba 'quae duplicaretur . . . iniuriam' nominatiuus casus 'iniuria' suppletur. recta autem sententia Floro restituetur, si

mecum scripseris: 'aderat puellae forma et, quae duplicaretur ex illo quod talis passa uidebatur, iniuria **et** odium ipsius regis'. nam oratione hoc modo formata apparet facillime ad 'passa' subintellegi 'iniuriam'. ut de mutatione pauca addam, 'm' pro 'et' haud raro in libris mss. poni cum Luc. Muellerus nuper in libro de re metrica p. 29 sqq. exposuit, tum conpluria Propertianorum codicum exempla demonstrant; cf. 3, 31, 11; 4, 15, 32, ubi nonnullorum librorum lectionem 'Eurus in' Keilius recte in 'Eurus et' mutauit, 5, 8, 80. inde locus quidam Anthologiae Latinae [ed. Riese I, 1, c. 293, 6] emendari potest: 'Tu Memnon facie's, non tamen ingenio', ubi Salmasianus 'et genio' praebet.

II, 16 [p. 106, 23]: 'semper alias Antonii pessimum ingenium Fulvia tum gladio cincta uirilis militiae uxor agitabat. ergo depulsos agris colonos incitando iterum arma cierat'.

Locum in codd. non uno nomine grauiter corruptum non omni ex parte restituisse mihi uidetur Iahnus. nam me non minus atque ueteres criticos illud 'gladio cincta uirilis militiae' sollicitat. licet enim, ut iam supra dixi, Florus haud raro a uolgari scribendi cogitandique ratione recedens, dum raras et insuetas captat imagines, ad ridicula delabatur, tamen tam plane absurdum loquendi genus ei tribuendum esse equidem nego atque pernego. et Anna quidem Fabri — nam Lipsii commentum ne commemoratione quidem dignum est — ad sententiam optime 'uirilis audaciae uxor' coniecit. sed hoc inuentum nescio an ipsum audaciae notam prae se ferat; certe 'audaciae' et 'militiae' a litterarum ductibus quam maximo interuallo inter se distant. mihi omnino uox ista non tam emendanda quam delenda uidetur, quippe quae e uersus antecedentis uerbis his 'pretium militiae soluerat' prae hic repetita sit. iam quominus locum missum facere liceat, prohibent uerba proxima 'iterum arma cierat'. nam male mihi Hauptius rem gessisse uidetur, cum libri optimi Bambergensis lectionem 'in arma reuocauerat' plane

nihil curans, sed a codicis interpolati Nazariani scriptura 'in arma ierat' profectus 'arma cierat' reuocaret. nam praeterquam quod in Floro recensendo nisi necessitate quadam coactis nobis a Bambergensi non recedendum est, facillima etiam emendatione hoc loco uerum elici licuit. nempe — quod uitium dici uix potest quam saepe in libris mss. sit obuium — librariorum socordia duo uerba ['rē uocauerat'] in unum coaluerunt. itaque reponendum est 'iterum in arma **rem** uocauerat'. notissimae sunt locutiones 'rem in certamen', 'in dubitationem', 'in disceptationem' cet. 'uocare'. quamquam, si quis non minus facili emendatione 'iterum arma reuocauerat' restituere malet, equidem non obstinate obloquar.

Ibid. [p. 107, 5] 'Cum solus etiam grauis paci, grauis reipublicae esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit. cui contra duos consules, duos exercitus necesse fuit uenire in cruentissimi foederis societatem'.

'Cui' uocem corruptelam traxisse liquet. neque enim ad Lepidum eam referri rerum natura patitur. cum uero Caesaris, quem Lepidi loco nominari oportet, nulla antea iniecta sit mentio, huius nomen sub corrupta ista lectione latere iam Hauptius optime intellexit. neque tamen eundem secutus rescripserim 'Caesarique uni'. hac nempe ratione mendi origo minime patet. at cum librarii tritissimum Caesaris uocabulum compendiose solerent scribere ita 'Cś', facile, puto, uides ipsum compendium 'cśi' in 'cui' corruptum esse. iam uero cum ex eo quod Lepidus et Antonius arma consociauerant quasi necessario efficiatur, Octavianum, nisi plane mentis esset expers patriamque afflictam funditus uellet perdere, eis sese adiungere debere: uerba 'Caesari . . . foederis societatem' possunt illa quidem nulla addita particula subiungi prioribus [cf. de hoc asyndeto summatiuo Naegelsbachi lat. Stil. §. 200, 2], sed duriter hoc quidem loco et ineleganter et contra Flori usum. talem autem uocem qualis ad duo illa enuntiata inter se copulanda expectatur anquirenti mihi nulla aptior uisa est quam 'sic' particula.

quae cum id quod unice huic loco adcommodatum est significat, puta 'in tali rerum statu' [cf. Fabri ad Liu. 24, 2, 1], tum quam facile ultimis antecedentis uoculae 'accessit' litteris hauriri potuerit in propatulo est. restituo igitur: 'cum solus etiam grauis paci, grauis reip. esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit: **sic Caesari** contra . . . foederis societatem'.

II, 18 [p. 109, 26]: 'iam et classe medium mare inderat, o quam diuersus a patre! ille Cilicas extinxerat; hic se piratica turba turper Puteolos Formias Uulturnum, totam denique Campaniam Pontias et Aenariam, ipsa Tiberini fluminis ora populatus est'.

Multa a uiris doctis tentata sunt, ut haec uerba integritati redderentur. et Iahnus quidem 'hic se pirata tuebatur. post Puteolos', Bezzenbergerus apud Halmium 'hic se piratica tuebatur. Put.', Binsfeldius denique [nou. mus. Rhen. 22, p. 645] 'hic se piratica turba tuebatur. perpetuo Put.' proposuerunt. omitto has coniecturas ab arte neque facilitate neque uero elegantia commendari. sed propterea uiri illi docti conatu excidisse mihi uidentur, quod non satis ad oppositionem rhetoricam animum adtenderunt. quam dum uerba 'Puteolos . . . populatus est' a prioribus diuolserunt funditus pessumdederunt subuerteruntque. facillima autem opera licuit huius loci deprauationem tollere hunc in modum: 'ille Cilicas extinxerat: hic **septus** piratica turba turpiter Puteolos . . . populatus est'. acerbissima inde efficitur oppositio. nempe duplicem 'Cilicas' uoci notionem inesse, et piratarum et populi Romani hostium, sponte intellegitur. comparantur igitur pater et filius, quorum ille piratas deleuerat, hic tamquam stipatorum cateruam circum se habuit, ille populi Romani hostes oppresserat, hic ipsam Italiam ipsaque patrii fluminis ora populatus est. iam postquam in uniuersum loci sententiam explanauit, ad singula me conuertam. ac primum quidem apparet quam facile in uerbis ita in archetypo scriptis 'hic **sep̄** piratica turba' litterae 'p̄'

ante simillimas 'pi' interciderint. ceterum nihil refert, Fleck-eisenum [50 artikel ectr. p. 28] secuti 'saeptus' an cum Rit-tero ad Taciti ann. I, 5 [ed. 1864] 'septus' scribamus, quippe cum perpetua sit litterarum 'ae' et 'e' in codd. confusio. de locutione a nobis restituta confer ex. gr. Tac. ann. 13, 18 fin. 'septus turba centurionum', Cyprian. ad Donat. 13 'sit licet satellitum manu saeptus'. deinde non uideo qua faciliore mutatione monstrosus illud 'turper' possit sanari quam a nobis factum est. iam omnes qui Florum uel obiter legerunt sciunt quantopere talis uox eius scriptoris stilo conueniat qui ubiuis data occasione, ut summam animi indignationem exprimeret uel potius fingeret, cum quodam studio eiusmodi uocabula orationi suae inseruit.

Ibid. [p. 110, 16]: 'sed inportunitate Antonii et Pompeianorum bonorum, quorum sector ille fuerat, praeda deuorata possessio manere non poterat.'

Pompei bona cum ab Antonio homine liberalissimo uel amicis dono data uel uendita reddi — ea enim pacis condicio erat — omnino nequirent, haec Pompeio nouarum querellarum causa fuit; ita factum est ut reconciliata uix-dum inter Caesarem et Pompeium gratia rescinderetur. quid igitur? nonne liquet, uocem corruptam 'possessio' [cf. Iahnii praef. p. XXIX] emendandam esse in 'consensio'? cf. Cic. de nat. deor. I, 44 'maneatque ad unum omnium firma consensio'. — sed loci emendatio nondum consummata est. lectio enim in fronte huius disputationis posita e Iahnii coniectura profecta est, codex ipse 'inportu manes Antonii' praebet. at talem constructionem 'inportunitate Antonii et praeda deuorata' nullo pacto ferri posse, non est quod pluribus demonstrum. iam illud animaduertendum est, 'inportu' uocem in Bambergensi in exitu uersus legi, ut sententia mea, qua, si non totam lineam at unum tamen alterumue uerbum interciderit puto, multum accipiat stabilitatis. atqui sententia, quam Florus posuit, aperte est haec: ex eo quod Antonii nimia *aviditate* bona Pompeiana deuorata essent,

nouarum turbarum exortam esse causam. nam auctor noster oblata occasione Antonium ut hominem omnibus sordibus inquinatum iniquissimis uerbis solet exagitare; de fonte autem tam maligni iudicii uideas uelim quae disseruit Adolfus Stahrius in libro 'Cleopatra' p. 314. quam scriptor sententiam sic potuit exprimere: 'sed inportuna auri **fames** Antonii; et Pompeianorum bonorum quorum sector ille fuerat praeda deuorata **consensio** manere non poterat'.

Licet autem illud 'auri' non indubitata coniectura repositum sit, tamen famis uocabulo Florum certo fuisse usum, quasi intento digito demonstrare mihi uidetur uox 'deuorata', quae egregie cum famis notione coniungitur. meminerat autem Florus cum haec scriberet illud Horatianum [epist. I, 18, 23] 'quem tenet argenti sitis *inportuna famesque*'. ne in duplici genetiuo casu offendas, conferas uelim locum simillimum II, 9 [p. 88, 9] 'initium et causa belli inexplebilis honorum Marii fames'.

Ibid. [p. 111, 4]: 'fugiebat extincto praetoriae nauis lumine, anulis in mare abiectis, pauens atque respectans, et tamen non timens nisi ne periret'.

Ante Iahnium legebatur 'et tamen non timens ne periret'. quam in scripturam optime quadrat Rupertii interpretatio: 'adhuc spem salutis in Antonio habens; nam ab eo se seruatum iri sperabat. igitur metuebat extrema ab hostibus persequentibus et tamen sperabat meliora, quod magnae indolis signum fuisse dicit Florus'. sed postquam ex Bambergensi 'nisi' uocem lucrati sumus, conruit ista interpretatio apparetque 'tamen' iam locum non habere. nihil enim uerbis 'et tamen non timens nisi ne periret' inest quod recte opponatur eis quae antecedunt 'pauens et respectans'. nam qui pauet et respectat, timet scilicet ne ab hostibus mortem patiat. itaque gradatione debet oratio pergere. unde conicio 'pauens et respectans et **iam** non timens nisi ne periret'.

II, 30 [p. 119, 24]: 'hac clade factum est, ut imperium,

quod in litore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret'.

Uidentur mihi cum librarii tum uero editores in hac postrema Flori parte nimis properasse, quasi laeti essent scriptorem fucato nitore suo magis deterrentem quam adlicentem ad se atque inuitantem aliquando e manibus deponere. alioquin hi loco nostro non contempsissent egregiam adnotationem Graeuii particulam 'non' plane hic esse absurdam monentis. 'ubi ergo', inquit uir doctissimus 'steterat imperium, si non stabat in Oceani litore? num extendebatur ultra huius Oceani septemtrionalis litora? dele negandi particulam perperam ab inepto homine intrusam'. neque uero cum Perizonio cogitare licet de Caesaris expeditione Britannica. quidni auctor, si hoc uoluit, simpliciter dedit: 'quod iam in Britannia steterat' uel simile quid? at nobis dum rationem Graeuianam amplectimur religioni est integram uoculam a textu exulare iubere, immo scribendum uidetur: 'quod in litore Oceani **constiterat**'; cf. Anthol. lat. ed. Riese I, 1, c. 423, 3:

Et tua, Diue, tuo sacrato potentia caelo
Extremum citra constitit Oceanum.

'Non' et 'con' syllabas saepissime in codd. confusas inuenimus. sic, ut altero exemplo rem inlustrem, praue adhuc apud Horatium [od. I, 2, 17—20] legimus:

Iliae dum se nimium querenti
Iactat ultorem, uagus et sinistra
Labitur ripa, Ioue non probante, u —
xorius amnis.

Multa a Peerlkampio aliisque prolata sunt quibus hanc stropham adulterinam esse demonstrarent. et cetera quidem argumenta non ita comparata sunt ut euincatur origo eius non Horatiana: illud grauissimi est momenti, quod Iuppiter qui et ipse urbem gentesque quam maxime terruerat nullo pacto Tiberim transgradientem indigne tulisse potest dici. immo intererat eius ut quam plurimis poenis atque miseriis impii Romani adficerentur sentirentque deos iratos. quid

ergo? num ilico stropham damnabimus? ad remedium tam durum tamque uiolentum ne nobis confugiendum sit, ita ego locum refigendum propono: 'Ioue **con**probante uxorius amnis'. nimirum Iuppiter, cum amnem effrenatum posset cohercere et in alueum suum reprimere, tamen irae indulgens factum eius *plane* probauit. sed redeo ad Florum.

II, 33 [p. 122, 21]: 'fauebat consilio natura regionis. circumcirca omnis aurifera est et — ferax. itaque' eqs.

Aegre in hoc sententiarum nexu coniunctionis uel particulae causalis omissionem feres. talia requirenti tibi en ipse liber Bambergensis succurrit, qui 'circa cum omnis auriferae et' exhibet. neque tamen littera finalis 'e' in uoce 'auriferae' compendium 'ē' = 'est' continere, sed ex subsequenti 'et' prae adhaesisse mihi uidetur. et recte Nazarianus 'aurifera' tradit. itaque inter 'feraxs' — ita enim antiquitus scribebatur — et 'itaque' uoculam 'sit' periisse stauerim. scribe igitur: 'circa cum omnis aurifera et . . . ferax **sit**'.

II. Nuper Fridericus Ritschelius in noui musei Rhenani uol. I. p. 302 seqq. Publii Annii Flori fragmentum non inuicundum, cui titulus est 'Uergilius orator an poëta', inuentum illud a Fr. Oehlero in codice Bruxellensi 10677 saec. XII, publici fecit iuris atque consociata cum Schopeno opera praefationi illi declamatoriae et emendandae et enarrandae studium sane saluberrimum nauauit. postea critici omnium nobilissimi Iahnus Halmius Mommsenus Hauptius plurimum ad uerborum quem uocant contextum emaculandum contulerunt. sed antequam meas qualescunque coniecturas proferam, uno uerbo de libro illo Bruxellensi mihi monendum est. quem cum Luc. Muellerus, praeceptor dilectissimus, Bonnam missum domi nuper teneret, humanissime ut iterum conferrem permisit. hac noua conlatione quamquam intellegebam accuratissime illum a Conr. Bursiano in Iahnii usum

excussum esse, tamen nonnullas discrepantias deprehendi ab eodem non enotatas. sunt autem haec:

p. XLI ed. Jahn. 6 affrice — ib. 13 heticus — ib. 25 ille *te* gencium (nulla rasura!) — p. XLII, 14 siscilium — ib. 17 egyptum — ib. 19 'redii' corr. ex 'uidi' — ib. 20 'concupissem' corr. ex 'concupiscem' — ib. 21 set — ib. 25 iuuenis *terras* peruolitauit — p. XLIII, 14 uera — ib. 22 redditu — ib. 28 quinquennio isto | isto (noua linea!) — p. XLIV, 13 pretexiatis.

Ex hac mea conlacione, si nihil aliud, id certe lucrati sumus quod p. XLII, 25 integram uoculam 'terras' recuperauimus. quae cum apud Ritschelium extaret, apud Iahnium casu, puto, interlapsa est. sed ut uitia solent latius serpere, neque Halmius consulta Ritschelii editione uocem restituit et Mommsenus loco utpote deprauato iam coniectura mendandum esse censuit; cf. Halmii praef. p. XX. iam uero ut eo unde deflexi redeam, haec fere uidentur mihi corrigenda:

p. XLI, 15 'non quod tibi puero inuideret, sed ne Africa coronam magni Iouis attingeret'.

Quoniam codex 'sed ne affrice corona' tradit, equidem uitato isto inusitato loquendi genere rescripserim: 'sed ne Africae corona magni Iouis **ob**tingeret'.

ibid. 25 'nihil te caritas urbis, nihil ille uictor gentium populus, nihil senatus mouet?'

In codice non erasis, sed claris perspicuisque litteris 'nihil ille te gencium pop.' extat. neque tamen id stare posse existumauerim, quia Romanos propterea quod in urbem omnes gentes confluebant nemo bene sanus appellauit 'gentium populum'. itaque Ritschelius secundum Iulium Florum [II, 2; p. 80, 2] reposuit quod supra legitur. propius a litteris traditis abest hoc 'nihil ille **rex** gentium populus'; cf. illud Uergilianum [Aen. I, 21] 'hinc populum late regem'.

p. XLII, 6: 'quod ad me pertinet, ex illo die, cuius tu mihi testis es, postquam ereptam manibus et capiti coronam

meo uidi, tota mens, totus animus resiliuit atque abhorruit ab illa ciuitate’.

In his unum uitium iam Mommsenus palmari emendatione [‘palmam’ pro ‘postquam’] sustulit, restat alterum ‘cuius tu mihi testi es’. praebet enim codex, id quod testis oculatus possum confirmare, ‘cuius *quo* tu m. t. es’. quapropter relinquenda est Halmii falsa lectione innitentis coniectura ‘cuius *de* quo tu’ scribendumque ‘ex illo die, cuius, **quod** tu mihi testis es, palmam ereptam . . uidi’. ita saepius Liuius dicit ‘quod quidam auctores sunt’.

Ibid. 17. ‘inde me Rhodos et ab regressu Aegyptium pelagus, ut ora Nili uiderem’.

Ritschelius, ut locum aperte lacunosum suppleret, ad sententiam optime ‘pelagus allexit’ scripsit, litterarum similitudinem nihil omnino curauit. hoc uitium dum nuper nescio quis ita euitare studuit ut reponeret ‘inuitauit inde me Rhodos’, in alterum pessumdatae latinitatis incidit quae utique hanc uerborum collocationem efflagitat ‘*inde* inuitauit me Rh.’ equidem suspicor ante ‘*ut ora Nili*’ intercidisse ‘*attraxit*’; cf. Cic. Lael. 14, 50 ‘nihil esse quod ad se rem ullam tam adliciat et tam attrahat’.

Data occasione quid de tituli uerbis ‘Uergilius orator an poëta’ censeam breuiter proferam. nam Ritschelius in eo quod titulo illi nullam omnino auctoritatem tribuendam esse censuit, errasse mihi uidetur. hunc autem minime neglegendum esse recte monuit Jahnius praef. p. XXXXIV: ‘in tanto studio quod a grammaticis et rhetoribus in Uergilio ponebatur, fieri potuisse credo ut aliquis quaestionem institueret, utrum Uergilius orator an poëta sit habendus, sicut quaesitum esse scimus, Lucanus utrum historicus an poëta sit’. atque talem quaestionem reuera in antiquitate motam esse, cum antea in coniectura esset positum, nunc certo me documento comprobare posse spero. apud Macrobius enim, scriptorem de Uergilio non uno nomine bene meritum, in Saturnaliorum libri V initio haec legimus: ‘post haec cum

panlisper Eusebius quieuisset, omnes inter se consono murmure, *Uergilium non minus oratorem quam poëtam esse habendum* pronuntiabant³. quid quod paulo post haec de Uergilio sententia latius ibidem explanatur? isti enim homines, qui unum Uergilium in amore atque deliciis habebant, iam ipsi, si dis placet, Ciceroni eum praeferendum esse existimabant, quod ille in uno, hic in omnibus dicendi generibus excelluerit. quemadmodum igitur Florus noster hanc qualemcunque de oratoria apud Maronem arte quaestionem persoluerit, hoc etsi non ad liquidum perducere, at conicere tamen ex Macrobio licet. hic enim, quem multos uariosque Graecorum Romanorumque scriptores excerptis et in usum suum conuertisse sat constat, fortasse ipsum Flori libellum in manibus habuit indeque quod in rem erat excripsit. quanquam hoc in medio relinquo. atqui illud omnes probabilitatis numeros mihi uidetur habere, non sine consilio Baeticum illum statim ab initio ‘uirum litteris pereruditum’ appellari. nimirum cum eodem Florum dialogum de quaestione supradicta se habentem in eis quae sequebantur putauerim finxisse. talem uero materiam uerborum ampullis persequi et exornare, non indignum erat Floro utpote rhetore et ludimagistro. iam si in comparationem Lucanum uocamus, quem Suetonius in libello de poëtis [Suet. rell. ed. Reiffersch. p. 50, 6] tradit in praefatione quadam aetatem et initia sua cum Uergilio conferentem dicere esse ausum ‘a! [ita scripsi: ‘et’ codd.] quantum mihi restat ad culicem’, uidemus, id quod aliorum quoque rhetorum exemplis licet conrobore, eos in declamationum praefationibus de se suaque uita docuisse auditores; cf. Jahnum l. l. iam illud quoque ex eodem Suetonio [ed. Reiff. p. 121, 9] notum est, oratorum plerosque declamationes suas etiam edidisse.

III. Emendando Minucio Felici nuper plurimi uiri docti noua eaque egregia Halmii recensione incitati operam de-

derunt. quorum studia noli dubitare quin scriptori et anti-
 quitus a lectoribus uel explicationes uel loca similia sibi
 adnotantibus et media aetate ab insciis librariis nullo non
 mendorum genere foedissimum in modum deprauato perquam
 profuerint. at ut ingens uitiorum moles ab eisdem uel de-
 tegetur uel amoueretur tota, tantum affuit ut amplius in-
 genium periclitandi campus relictus sit posteris. hinc mihi
 animus fuit experiri, numquid et ipse pro uirili parte ad
 elegantissimi scriptoris emendationem ualerem conferre. qui
 conatus utrum feliciter cesserint necne, tu, lector beneuole,
 diiudica.

c. 2, 4 'ut et aura adspirans leniter membra uegetaret
 et cum eximia uoluptate molli uestigio cedens arena sub-
 sideret'.

Illud permire dictum puto, harenam uestigio cedentem
 uoluptatem parare eamque eximiam. nescio quid ceteri de
 hac re sentiant: mihi semper uerba 'cum eximia uoluptate'
 eo transponenda sunt uisa, ubi unice apta extant: 'membra
 uegetaret *cum eximia uoluptate* et molli uestigio' eqs. quan-
 quam non tam ex praua uerborum collocatione quam ex eo
 corruptelae genere quo nullum in libris mss. frequentius sit
 uitium esse repetendum, recte olim me Herm. Usenerus
 monuit: scilicet ubi ex 'uegetaret' uoce syllaba 'et' prae
 iterata esset, consequens fuisse ut deleteretur eadem post
 'uoluptate'.

c. 5, 3: 'itaque indignandum omnibus, indolendum
 est audere quosdam et hos [ita scripsi: 'hoc' P.] studiorum
 rudes, litterarum profanos, expertes artium nisi iam [ita
 scripsi: 'artium etiam' P.] sordidarum certum aliquid de
 summa rerum ac maiestate decernere'.

Ad uerba 'indignandum omnibus, indolendum est'
 coniecturarum nubem quandam apud Halmium habes, quarum
 tamen pleraeque externa quam uocant probabilitate carent
 omni. quamquam recto iudicio uiri docti in illis uerbis hae-
 sisse mihi uidentur. nam ut ἀσύνδετον, quod ut illis ita

mihi quoque semper hoc quidem loco molestissimum uisum est, haud aegre feras et similibus fortasse defendas, tamen non ita Minucium scripsisse ea coarguunt quae in Octauii responsione leguntur. quam summa cum arte uel in singulis locutionibus orationi Caecilianae adcommo-
 dasse Minucium, sciunt qui eum legerunt. habemus igitur c. 16, 6 'nihil itaque indignandum *uel* dolendum'. itaque nostro quoque loco, si quidem uia et ratione artem criticam facessere est cordi, uerba 'indignandum' et 'indolescendum' copula quadam coniungenda sunt. sed, ut iam dixi, ex eis quae uiri docti commenti sunt pauca fere adrident. unus enim Uahlenus rectam uiam ingressus est dum conicit 'indignandum omnibus, omnibus indolescendum est'. quae coniectura utique certa esset censenda, si ulla huic loco oppositio subesset; cf. ex. gr. c. 5, 1 'repudiaris alterum, alterum comprobaris'. at quoniam gradatione cum maxime hic opus est, scribendum erat 'itaque indignandum omnibus **et omnibus** indolescendum est'. nimirum librarius oculis a priore 'omnibus' ad alterum aberrauit. et hoc quidem certum atque constans Minucii esse genus loquendi, haec demonstrant exempla: c. 4, 2 'alacritatem tuam illam et illam oculorum' eqs. 5, 5 'beati satis satisque prudentes'; 5, 6 'caelum ipsum et ipsa sidera'; 21, 1 'lege historicorum scripta uel scripta sapientium'; 22, 1 'sacra ipsa et ipsa mysteria'; 23, 10 'tormentis quibus et quibus machinis'; c. 35, 4 'parentem omnium et omnium dominum'. hinc alteri huius capitis loco medendum est. §. 9 haec leguntur: 'sine dilectu (fulmina) tangunt loca sacra et profana, homines noxios feriunt et saepe religiosos'. in quibus 'saepe' uox omnem orationis aequabilitatem tollit. neque enim fulmina semper noxios, saepe religiosos feriunt, sed nullo facto discrimine et noxios et religiosos. unde apparet rescribendum esse: 'homines noxios feriunt **saepe** et saepe religiosos'. quam emendationem cum ipse olim inuenissem, nunc a Klussmanno [cf. nou. mus. Rhen. XXIII. p. 543] mihi praereptam esse uideo.*

c. 8, 4 'templa ut busta despiciunt, deos despunt, rident sacra, miserentur miseri, si fas est, sacerdotum, honores et purpuras despiciunt, ipsi seminudi'.

Non quadrare puto in limatum castigatumque Minucii stilum tam otiosam in eodem ambitu uerborum repetitionem nulla ui rhetorica commendatam 'templa *despiciunt*' et 'purpuras *despiciunt*'. fortasse restituendum est 'templa ut busta **defugiunt**'. eodem uero nomine uituperanda est Halmii coniectura 'miserantur, miseri *ipsi*, si fas est, sacerdotum' scribentis, si quidem statim sequitur '*ipsi* seminudi'. quamquam in uulgata lectione acute sententiam imperfectam agnouisse censendus est idem; cf. praef. p. X. nos paulo facilius sua Minucio reddidisse nobis uidemur ita 'miserentur, miseris si fas est, sacerdotum', sensu nimirum eodem, quem Halmius intulit.

c. 9, 7 'etsi non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti'.

Haec uerba etsi per se nulli suspicioni obnoxia sunt, tamen duce libro Parisino qui 'oporae' exhibet aliter mihi conformanda uidentur. nam 'ae' diphtongus, ut saepissime, pro simplici 'e' posita est. habemus igitur 'opore'. caue tamen ne hinc Heumannum secutus futile illud 'opere' restituas. procul enim dubio hoc in archetypo exaratum fuit 'ēpore'. emenda igitur: 'etsi non omnes **corpore**, conscientia tamen pariter incesti'.

c. 10, 1 'multa praetereo consulto: nam et haec nimis multa sunt, quae aut omnia aut pleraque omnium uera declarat ipsius prauae religionis obscuritas'.

Prudenter et circumspecte egit Halmius quod 'omnium' uocem aperte absonam non Wopkensio auctore in 'omnia' mutauit. nam inepte 'omnia' et 'pleraque omnia' inter se opponuntur. sed num idem Minucii manum restituerit delendo corruptam uocem, potest dubitari. certe causa, cur hoc a nescio quo sit adiectum, non apparet. fortasse hoc dedit auctor: 'omnino uera declarat ipsius pr. rel. obscuritas'.

c. 12, 7: 'proinde si quid sapientiae uobis aut uerecundiae est, desinite caeli plagas et mundi fata et secreta rimari: satis est pro pedibus aspicere maxime indoctis' eqs.

Sanissimo, si quid uideo, iudicio Uonckius [spec. crit. p. 140] uocis cuiusdam ante 'secreta' defectum agnouit. nempe concinnitas aequabilitasque orationis desiderat quod illis 'caeli' et 'mundi' respondeat. id uero quod uir ille doctissimus commentus est 'et seculorum secreta' neque scite excogitatum et huic loco minime aptum est. scripsit, ni fallor, Minucius 'desinite caeli plagas et mundi fata et **terrae** secreta rimari: satis est **o** pro pedibus aspicere' eqs. et recte a nobis 'terrae' uocem insertam esse, ita ut res paene extra omnem dubitationem posita sit, demonstrant ea uerba quibus Octavius ad locum nostrum respiciens Caecilium refutat, c. 17, 3—5 'sacrilegii enim uel maximi instar est, humi quaerere [= pro pedibus aspicere] quod in sublimi debeas inuenire quid enim potest esse tam apertum, tam confessum tamque perspicuum, cum oculos in caelum [= caeli plagas] sustuleris et quae sunt *infra* [= terrae secreta] circaque [= mundi fata] lustraueris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis'?

c. 13, 1: 'quanquam si philosophandi libido est, Socraten, sapientiae principem, quisque uestrum, tantus est, si potuerit, imitetur'.

Hunc pleonasmum non minus ferendum puto quam infra p. 19, 26, ad quem locum nos Halmius relegat, in uerbis his 'dicam equidem, ut potero, pro uiribus et adnitendum tibi mecum est'. in quibus iam Wowerus et Heumannus, hic 'pro uiribus' ille 'ut potero', quippe quorum alterum alterius contineat explicationem, a Minucii oratione esse secludendum coniecerunt. at leni ego traiectione loco subueniri posse puto 'dicam equidem ut potero *et* pro uiribus adnitendum tibi mecum est'. iam nostro loco aliud accedit quo Minucium ita scripsisse ualde fit inprobabile. nam ut 'quisque' pro 'quisquis' positum accipias et pleonasmum patienter feras:

quis, quaeso, locutionem 'quisquis tantus est' pro ea quae est 'quisquis potest' unquam fando audiuit? et Maehlyus quidem [cf. Fleckeiseni ann. 1869, p. 431], cum hoc bene sentiret, uerba 'tantus est' post 'imitetur' transposuit, scilicet Socraten ad ea subaudiens. sed nescio an magis expeditum remedium in promptu sit. nam 'is' uocabulo, quod uidere licet quam facile uel post 'tantus' uel ante 'est' perierit, inserto et uerbis 'tantus is est' parenthesesos quam uocant signo inclusis ita locus interpretandus est: tam sapiens tamque egregius homo Socrates est ut sane dignissimus sit quem pariter omnes sedulo imitentur. itaque altero praeterea leniore uitio remoto haec Minucio restituenda sunt: 'quamquam, si philosophandi libido est, Socraten, sapientiae principem, quisque uestrum — tantus **is** est! — si poterit imitetur'.

c. 16, 6 'atque etiam, quo imperitior sermo, hoc inlustrior ratio est, quoniam non fucatur pompa facundiae et gratiae, sed, ut est, recti regula sustinetur'.

Offenditur utcunque animus illis 'fucatur pompa facundiae et gratiae'. nempe ipsa pompa facundiae est fucus orationi adpersus, ut illud 'fucatur' misere uideatur *ταυτολογεῖν*. commodius certe esset 'curatur'. atqui de hac re certari posse uideo: illud pro liquido ausim confirmare, Minucium non 'gratiae' sed 'gratia' scripsisse, cum 'pompa gratiae' omnino nulla, 'gratia facundiae' autem sit illa suauitas iucunditasque eloquentiae, qua maxime homines capiuntur. uitium inde ortum est quod 'gratia' ad uocem proxime antecedentem 'facundiae' adcommodabatur; cf. Madwig. em. Liu. p. 10.

c. 17, 9 cum nuper Matzius [cf. Fleckeiseni ann. 1869 p. 410] uerba 'mari intende: lege litoris stringitur' hoc sane loco intolerabilia deleret, ad recessum ut ita dicam difficultatis non penetrasse mihi uidetur. nam in sequentibus 'adspecte Oceanum — exercitus lapsibus' auctor mira inaequalitate primum Oceanum, deinde fontes, postremo fluuios

memorat. itaque totum locum hac transpositione sanandum esse censeo: 'quidquid arborum est, uide quam e terrae uisceribus animatur. uide fontes; manant uenis perennibus: fluuios intuere; eunt semper exercitis lapsibus: mari intende, lege litoris stringitur: adspice oceanum, refluit reciprocis aestibus'. hac ratione ut recto a minore ad maius ascensu fluit oratio, ita neque glossema statuatur oportet et mendum quomodo ortum sit elucet. nempe librarius ab ultimo §. 8 uerbo 'laberentur' ad 'lapsibus' aberrans uerba interiacentia omisit. quae cum perspecto errore in margine adscripta essent, postea uariis locis textui inserta sunt.

c. 18, 6: omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum et Thebanorum permortuam fabulam transeo. ob pastorum et casae regnum degeminis memoria notissima est'.

Haec codicis scriptura non uno nomine uitiosa est. et uerba 'Thebanorum permortuam fabulam' Meursius et Rigaltius in 'Thebanorum par, mortuam fabulam' emendarunt idque Halmio probauerunt, qui tamen in praef. p. XVI Uahleni commendat inuentum: 'Thebanorum *fratrum* intermortuam fabulam' respicientis ad Cypriani de idol. uanit. 5, 2 uerba 'sic Thebanorum fratrum germanitas rupta'. at cum hoc loco Cyprianus Minucium non, ut alias saepissime, ad uerbum, sed paulo liberius excripserit, equidem in Meursii emendatione egregia 'Thebanorum par' adquiescendum puto. alia res est de uerbis insequentibus. nam illa de Thebanis fratribus fabula quo iure quouque exemplo 'mortua' uel 'intermortua' dicatur nescio. certe semper ea in hominum ore memoriaque uigebat, et eo praesertim tempore quo Statii Thebais non multo ante esset edita. potuit autem scriptor non aliter fabulam istam inridere atque exagitare nisi ita, ut ueterem ideoque uilem appellaret. quae cum ita sint, conicio hoc olim scriptum fuisse 'Thebanorum *parmeritam*', id est, 'Thebanorum par, **emeritam** fabulam'; cf. c. 21, 9 'et diui ceteri reges qui consecrantur non ad fidem numinis, sed ad honorem *emeritae* potestatis'. ea quae se-

cuntur 'ob pastorum . . . notissima est', cum priores critici de latinitate foeda et barbara plane securi transierint, nuper demum H. Usenerus [Fleck. ann. 1869, p. 411] suo iure in dubitationem uocauit coniecitque 'transeo pastorum *ex casa regnum*; *nam* de geminis memoria notissima est'. equidem antequam hoc inuentum cognoscerem, haec suspicatus sum: 'pastorum et casae **et ob** regnum **degeneris** **gemi**ni memoria notissima est', nequis autem cum Maehlyo casam illam sede sua moueat, adscribam Flori uerba I, 1: 'sic repertos apud arborem Faustulus regii gregis pastor tulit in *casam* et educauit'. itaque Minucius notum esse adserit, Romulum et Remum primo pastores fuisse et in Faustuli casa concorditer uixisse, at eisdem mox regno condito, cum uter rex esset quaereretur, inter se dissensisse, ita ut Remus fratris manu occideretur.

c. 19, 4 'isdem Milesius Thales rerum initium aquam dixit'.

Lenem maculam contraxit uox 'isdem'. quam tamen neque Sabaeum 'idem' neque Uahlenum 'is autem' conicientes secutus sustulerim. et alterum quidem inuentum propterea quoque displicet quod statim sequitur 'deum *autem*'. fuit, ni fallor, antiquitus exaratum 'is enī', id est, 'is **enim**'.

c. 20, 3 'ut temere crediderint etiam talia monstruosa miracula' eqs.

Pro 'talia' cum P. exhibeat 'alia', facta post 'inplexos' uocem maiore interpunctione emendandum puto '*illa* monstruosa miracula', si quidem hae uoces sexcenties inter se mutatae sunt. ita apud Capitolinum uit. Maximin. c. 20, 8 praue uel in nuperrimis exemplaribus legitur 'uerum ubi aliud senatus consultum accepit', ubi emendo '*illud* senatus consultum'. Seneca epist. XV, 95, 67 ed. Haase 'quanto hoc utilius est excellentis animi notas nosse quas ex alio in se transferre permittitur'. lege 'ex *illo* in se tr.' cum autem optimus quisque augustei temporis scriptor 'ille' uocabulum post adiectiuum ponere soleret, ab hac norma argenteae

quam dicunt aetatis auctores recesserunt, ueluti Florus I, 11 'illi nobiles portus', I, 18 'illas celeris uolucrisque nauis'.

c. 20, 5 'similiter ac uero erga deos quoque maiores nostri inprouidi. creduli rudi simplicitate crediderunt'.

Non satis est emendationi uerborum 'similiter ac uero' studere, qua in re plerique criticorum adqueuerunt. altius latet ulcus. nam siue 'crediderunt' refertur ad illud 'erga deos': tali modo nemo unquam Romanus locutus est; sine 'creduli' cum uerbis 'erga deos' coniungitur: credendi uerbum non habet obiectum quod uocant. iam illud 'quoque' ineptissime se habet. cum enim scriptor iam in eis quae antecedunt gentilium de pluribus deis opinionem refutauerit unumque tantummodo deum esse demonstrauerit, praue iterum legitur, maiores deos quoque credidisse. sed cum in eis quae secuntur de hominum nobilium post mortem consecratione sit sermo, hinc locum emendanti auxilium petendum esse putauerim. iam uero locum grauissimis turbis adfectum mecum adgressos omnem mentis auxietatem deponere iubeo et reminisci quae supra dixi, hunc librum omnigenis uitii deformatum esse. haec igitur Minucio restituo: 'similiter uero ac deos **heroas** quoque maiores nostri inprouide [ita egregie Heumannus: 'inprouidi P.] creduli, rudi simplicitate crediderunt.

Uitium inde natum puto quod uoces 'ac deos' in archetypo super lineam adscriptae postea falsis locis contextui sunt insertae. quae quod superscripta fuerint duplex excogitari potest ratio: aut additamentum lectoris cuiusdam sunt (nam nullo sane sententiae detrimento abesse possunt) aut, quod magis crediderim, librarium oculis a 'uero' ad 'heroas' aberrantem uerba quae interiacebant 'ac deos' fugerant. simillime, id quod nuper praeclare Usenerus [l. 1. p. 401] ostendit, c. 5, 5 uerba 'ut [= uel] scrutari permissum' super 'aut stuprari religiosum' scripta ingentes turbas mouerunt. ita postquam mendi γένεσις arte et ratione exposui, nemo credo temeritatis me arguet quod 'erga' uocem in

'heroas' correxi. nempe et O littera haud raro cum similibus C et G in libris mss. confusa est et, qua leuitate et inconstantia librarii in aspiratione uel omittenda uel ponenda fuerint, sat constat. inutilem uero laborem Maehlyus suscepit qui nuper illud 'creduli crediderunt' sollicitauit; cf. c. 13, 2 'merito meruit' Flor. II, 9 [p. 89, 97.] 'saeuius quam uel in Punica urbe saeuatur', Trebell. Pollio uit. Gallien. c. 9, 5 'mira inhiatione mirantes' et alia id genus plurima.

Ibid. 'dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere'.

Non inueni ubi detinendi uerbum ea qua hic opus est notione seruandi utatur. lege 'retinere'; cf. Horat. serm. I, 1, 89 'retinere uelis seruareque amicos'.

Ibid. §. 6: 'unaquaeque natio conditorem suum aut ducem inclytum aut reginam pudicam sexu suo fortiorem aut alicuius muneris uel artis repertorem uenerabatur ut ciuem bonae memoriae'.

In uerbis 'reginam — fortiorem' Heumannus, uir ut in detegendis mendis sagacissimus ita in detectis emendandis plerumque infelicissimus, optime intellexit desiderari quo regina pudica ab ea quae sexu suo sit fortior distinguatur. itaque rescripsit 'sexuue suo', quod neque grato sono commendatur neque per se ualde probabile est. repone 'reginam pudicam seu sexu suo fortiorem'. extrema uerba aut cum Usenero in 'aut ciuem bonae memoriae' aut mecum in 'ut ciues b. m.' mutanda sunt, ut hoc additum non iam ad solum illum repertorem, quod peruersum est, sed ad omnes supra laudatos pariter pertineat dicanturque illi, propterea quod ex egregiis factis uel inuentis prae ceteris ciuibus eminentes bonam sui memoriam reliquerint, diuinis digni habiti honoribus.

IV. Iuuat hic paulisper prosae orationis scriptores ualere iubere, ut nonnullis poetis Latinis opem atque auxilium feram. in anthologiae latinae [ed. Riese I, 1] carmine 21,

quamquam plurimae maculae Hauptii potissimum sagacitate detersae sunt, nonnullae tamen emendatorem adhuc expectant. sic u. 47 haec leguntur:

‘iam tunc, iam perfidus iste
Neptunum spoliare parans petit alta profundi’.

Ita Riesius scripsit, cum Salmasianus habeat ‘inperfidus’. at ingrata est uocis ‘perfidus’ quae item in uersu antecedenti legitur iteratio. sententiae quoque magis aptum existumo hoc: ‘iam tunc, *en*, *perditus* iste Neptunum sp. p.’

Ibid. u. 112:

‘mercator madidus, paruae stipis auctor, ad aurum
ut uenias, scire uelim’.

Uersum ultimum ut metro restituerent, uaria excogitauere uiri docti, Hauptius ‘rescire uelim’, Riesius ‘id scire uelim’. lege ‘iam scire uelim’. nam ‘iā’ post ‘uenias’ intercidit.

Carminis 83 uersus 14 hic est:

‘pendet amore dolor, castus dolor auget amorem’.
‘Castus dolor’ quinam hic dicatur, cum nullis machinis possis eruere, quaerendum est quemadmodum uitium quod uersus contraxit possit sanari. sed, si Riesio auctore scripserimus ‘castum d. a. amorem’, quomodo Dido utpote per totam hanc epistulam culpam confessa suum in Aenean amorem ‘castum’ potuerit appellare, nescio: illud scio, quo uiuidius magnitudo doloris depingatur, scribendum esse:

‘uastus dolor auget amorem’.

Ibid. u. 27: ‘conubium nunc crimen erat’.

Mirum est omnes editores latuisse uersus huius deprauationem apertam et correctu facillimam. nempe scribendum est ‘conubium nunc crimen erit’.

Ibid. u. 148: ‘licet simul improbus exul
et uagus hospes eras et ubique timendus haberis’.

‘Uagus’ ille ‘hospes’ ex Riesii coniectura nimis a codicis scriptura ‘maius hospis’ recedenti et a loci sententia prorsus aliena profectus est. iam Burmanni commentum ‘magis’ silentio licet praeterire. quis enim non uidet apprime

in rem facere id quod una litterula mutata rescribo: 'et malus hospes eras'? cf. ex. gr. Propert. III, 24, 44;

Paruo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, *hospes* uterque *malus*.

Carmen 91, quod inscribitur 'de uelo ecclesiae', hoc est:

Omnia quae poscis dominum, si credis, habebis:
Quae bona uota petunt, recipit alma fides'.

In 'recipit' uoce quamquam uitium metricum fortasse aliorum poetarum Christianorum item interdum 're' syllabam producentium exemplo defendere licet [cf. Luc. Muellerus d. r. m. p. 362], tamen ipsum uerbum minime hic aptum est ubi exaudiendi notionem expectamus. lege 'respicit alma fides'.

c. 176, 1:

Eminet impletus pullorum carnibus anser
et uarias mensae torridus ambit opes.

In his unum mendum iam Luc. Muellerus egregie correxit, cum pro absono illo 'torridus' reuocaret 'turgidus'. idem tamen cum 'ambit' uocem aeque corruptam mutaret in 'addit', uereor ut manum poetae restituerit. mihi sic potius legendum uidetur: 'et uarias mensae turgidus **addit** opes'.

c. 182 'de Aegyptio':

Exoriente die noctis processit alumnus.
Sub radiis Phoebi solus habet tenebras.
Coruus cardo cinis: concordant multa colori.
Quod legeris nomen, conuenit: Aethiopsis.

Haud pauca in hoc carmine non satis expedita sunt. iam statim in primo uersu illud 'processit' prae se habet. nam neque tempus perfectum ullum siquid uideo locum hic optinet (et recte in uersu minore praesens tempus habes) neque procedendi uerbum a sententia aptum est. nam ni fallor poeta dixit, in ea terra ubi dies oriatur mirifice gigni homines nigros. unde emendandum propono:

'Exoriente die noctis **procrescit** alumnus'.
altera difficultas in uersu tertio latet, in quo cum 'multa'

uocem absurdissimam esse bene intellexeret Riesius, crucis signo adposito locum talem esse cuius emendatio se fugisset declarauit. at idem si paulo accuratius hunc uersum, cuius cetera uocabula omnia a 'c' littera incipiunt, inspexisset, fortasse artificium quoddam poëtae agnouisset uidissetque hinc potissimum medelam petendam esse. emendandum est totum distichon ita:

'Coruus carbo cinis: concordant **cuncta** colori.

Quod legeris nomen: conuenit Aethiopi'.

ubi 'Aethiopi' cum libris optimis retinui, cum Riesii lectionem plane non intellegam. ita enim aperte haec uerba interpretanda sunt: quodcumque ex istis nominibus — coruus, carbo, cinis — sumpseris, id ob nigrum colorem egregie in hominem illum nigrum quadrat. de similibus ludibriis, quale u. 3 restitui, cf. exempla a Luc. Muellero [d. r. m. p. 454] adlata et Orestis tragoediam [ed. Schenkl] 213 'finde secure caput, ceruicem, colla, cerebrum'. ceterum in 'legeris' uocabulo correpta prima syllaba posito utpote apud poetam tam serae aetatis nihil uidetur offendendum esse.

Carm. 198, 6:

'Nunc autem proprium seruans natura uigorem
compellit fluxos umeris depellere amictus'.

Neque admodum gratiosa est pellendi uerbi in duobus compositis iteratio et ipsa locutio 'depellere amictus' uereor ut exemplis possit stabiliri. legendum propono:

'compellit fluxos umeris **deu**ellere amictus'.

Ibid. u. 8:

'Dum nos bella uocant rauco clangore tubarum,
mens quatitur saeuusque fouet praecordia Mauors'.

In quibus omnes semel moniti mihi concedent, puto, nihili esse fouendi uerbum restituique debere:

'mens quatitur saeuusque **mo**uet praec. M.'

Ibid. u. 76:

'Namque hominis semper, meritorum lege perenni,
quam breuiat fatum, propagat gloria uitam'.

Elegantius, puto, oratio profluet, si dempta in uoce 'hominis' ea litterula, quae cum semel esset ponenda bis ponebatur a librariis insciis, rescripserimus: 'namque homini semper meritorum' eqs.

C. 287, 5:

'Quos olim puer in foro paraui
Uersus ex uariis locis deductos'.

Uersus alter quomodo explicandus sit diu multumque meditato mihi tandem deprauatus est uisus. nam non potest ille aliter accipi quam 'uersus uariis locis factos', quod manifesto prioris uersus uerbis 'in foro paraui' repugnat. at bene omnia ac pulchre se habent hac mea emendatione recepta: 'uersus ex uariis locis deductos'.

cf. u. 21: 'nec me paeniteat *iocos secutum*,
quos uerbis epigrammaton facietis
diuersos facili pudore lusit
frigens ingenium'.

ita enim id quod praue in libris et scriptis et editis legitur 'diuerso et' correxi.

His subiungam duas in Calpurnium Siculum emendationes. in ecloga I inde a u. 8 haec leguntur:

'Hoc potius, frater Corydon, nemus, antra petamus
Ista patris Fauni, graciles ubi pinea denset
Silua comas, rapidoque caput leuat obuia soli'.

Nescio quid siluae umbrosae sit rei cum *rapido soli*. nam pastores umbris succedunt, ut a solis nimis flagrantis aestu tuti sint. apparet igitur tale epitheton unice aptum esse soli, quod torrendi notionem contineat. unde emendo:

'*rabido*que caput leuat obuia soli'.

eodem uitio liberandus est Uergilius in eclogae alterius uersu 10 'et *rabido* fessis messoribus aestu', ubi, si Ribbeckii apparatus fides est, omnes codd. et edd. perperam 'rapido' exhibent. ceterum consulendus est Luc. Muellerus in noui musei Rhenani uol. XVIII p. 84 et in praef. ad Horat. p. XXI.

Eclog. II, 12:

‘conuenit umbrosa quicumque sub ilice lentas
pascit oues, Faunusque pater Satyrique bicornes’.

Oues illae inter pascendum *lentae* rerum naturae prorsus repugnant. accedit quod non sub una illa ilice, sed passim per campum solutae pascuntur. quid multa? cum facile agnoscat Uergiliani illius [ecl. I, 4] ‘tu, Tityre, lentus in umbra’ imitatio, legendum est:

‘quicumque sub ilice lentus pascit oues’.

Finem huic capiti inponam Aetnae [ed. Munro] uersibus 74—86, quos ita ut emendandi mihi sunt uisi adscribam:

‘Haec est mendacis uulgata licentia famae.

uatibus ingenium est: hinc audit nobile carmen.

plurima pars scenae **et** rerum est fallacia: uates

sub terris nigros **luserunt** carmine manes

atque inter cineres Ditis pallentia regna;

mentiti uates Stygias undasque canesque.

hi Tityon strauere **nouena** in iugera foedum;

sollicitant illi te circum, Tantale, pomo

sollicitantque siti: Minos tuaque, Aeace, in umbris
iura canunt, idemque rotant Ixionis orbem.

quidquid et in terris falsi sibi conscia terret

[*pectora, materiem fingenda ad talia praebet*].

nec tu, terra, sat **es**: speculantur numina diuum

nec metuunt oculos alieno admittere caelo’.

In singulis emendationibus defendendis cum antea transitoria opera me fungi posse putarem, nunc Mauricii Hauptii dissertationem quandam egregiam [ind. lect. acad. Berol. 1854] nactus paulo longiore disputatione opus esse uideo. u. 74 certissimam emendationem ‘mendacis’ — nam codices perperam ‘mendosae’ praebent — mihi suppeditauit Luc. Muellerus, quocum olim de hoc loco confabulatus sum; cf. u. 369 ‘mendacemque exue famam’, u. 571 ‘mendacia famae’. — u. 76 libri omnes ‘scenae rerum est’ tradunt; unde quod Munro elicuit ‘uerum, cum et nimis prosae orationis stilum

olet et a uerborum collocatione praue se habet, tum eodem incommodo laborat quo Hauptianum illud ‘uatum est fallacia’. nempe non loca solum, in quibus fictae istae fabulae aguntur, sed res ipsae quae ibi fiunt commemorantur oportet. itaque mihi post ‘scenae’ uocula ‘et’ uidetur periisse. iam uero scena et res sunt quae nos dicimus ‘Scenerie und Handlung’. nimirum scenam poëtae mentiti sunt fingendo Tartarum, u. 77—79, res uero, cum ibi exempli gratia Tantalum poma semper fugientia facerent captantem, u. 80—84. cf. ex. gr. Hor. sat. I, 4, 46 ‘quod acer spiritus ac uis nec uerbis nec *rebus* inest’. — in uersu 77 librorum lectio ‘nigros *uiderunt* carmine manes’ perspicue inepta — nam ‘uiderunt’ ut miro modo pro ‘commenti sunt’ uel ‘finxerunt’ positum est, ita addito illo ‘carmine’ plane fit intolerabile — ab Hauptio in ‘nigro *uiderunt agmine*’ reficta est coniectura speciosiore quam ueritate. nam neque mutatio ipsa sat lenis est et uidendi uerbum mihi quidem ualde ingratum remanet. id quod nos restituimus ‘luserunt’ post litterarum ‘ui’ et ‘lu’ confusionem saepissime in codd. obuiam non potuit non corrigi a librariis in ‘*uiderunt*’. ceterum cf. Minucius Felix 11, 9: ‘omnia ista figmenta male sanae opinionis et inepta solacia a poëtis fallacibus in dulcedinem carminis *lusa*’; Seneca (nescio autem an hic ipsum locum nostrum ob oculos habuerit) ad Marciam de consol. 19, 4 ‘cogita nullis defunctum malis adfici, illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam [fabulas?] esse *luserunt* ista poëtae et nos uanis agitauere terroribus’. — u. 80 pro eis quae codices habent ‘hi Tityon poena strauere in iugera’ non minus quam in uersu 81 pro ‘poena’ Hauptii emendationes recepi, quamquam num ‘circum’ uox aetatem tulerit integra equidem magnopere dubito. in eodem uersu 81 miror sollicitandi uerbum cum ictu quodam iteratum Munroni scrupulos mouisse. quanto meliore iure idem u. 52 in uoce ‘prouocat’ offendisset! sed totum locum [u. 50 – 54] adscribam, ut simul quid de eo sentiam proferam :

'iam coaceruatas nituntur scandere moles;
 impius et miles metuentia comminus astra
 prouocat: infestus cunctos ad proelia diuos
 prouocat admotisque trementia sidera signis'.

In quibus primum, puto, uides, prouocandi uerbum nimis otiose repetitum excusationem habere nullam. sed illud quoque permirum est, gigantes astra prouocasse, cum quibus quomodo bellum potuerint gerere mente non concipio. quid quod eadem astra, quae hic 'metuentia' dicuntur, mox iterum 'trementia' uel potius 'territa' dicuntur? nam aliter id quod liber Cantabrigiensis praebet 'tertia' non uidetur esse emendandum. at tam misera tautologia in hoc poeta nullo hercle pacto toleranda est. quid multa? eiecta foedissima interpolatione restituendum est:

'impius et miles cunctos ad proelia diuos
 prouocat, admotis ad territa sidera signis'.

nam ita u. 53 ex Wassenberghii emendatione scribendum censeo. non minus autem u. 62—63 dei uocabulum bis positum molestum est:

'iam cetera turba *deorum*
 stant utrimque. *deus* ualidos tum Iuppiter ignis
 increpat et uictor proturbat fulmine montes'.

ubi forsitan haud male '**rubens** ualidos tum Iuppiter ignes increpat' possit reuocari ad similitudinem Horatii [od. I, 2, 2] 'rubente dextera sacras iaculatus arces'. quamquam ne ita quidem loci restitutio perfecta est. nam male se habet me iudice illud 'ualidos ignis increpat'. noli autem dubitare quin ita ediderit auctor 'ualido tum Iuppiter igni increpat' sc. montes. quandoquidem autem hanc de eorundem uocabulorum post paucorum uersuum interuallum repetitione molesta quaestionem attigi, pergam loca nonnulla carminis nostri hoc uitio adfecta purgare. itaque uu. 68—70 haec leguntur:

tum pax est reddita mundo
 tum liber cessat: uenit per sidera: caelum
 defensiue decus mundi nunc redditur astris.

in quibus uersus alter tam atrociter est corruptus, omnia ut emendandi molimina uideatur eludere. at felicius, ni uehementer fallor, in u. 70 res mihi cessit, ubi 'redditur' uerbum et per se offensionem praebet haud mediocrem (nam 'adscibitur', 'inseritur' uel aliam eiusmodi notionem potius expectes) et propter u. 68 uerba 'tum pax est *reddita* mundo' oppido est ingratum. reuocandum est 'defensiq̄ue decus mundi nunc **additur** astris'. quis porro credat, poëtam u. 116 haec dedisse 'non est hic *causa* docendi, dum stet opus, *causas*'? nam nullo fere negotio reponitur 'non est hic **ansa**', si quidem littera 'c' antecedens corruptelae fons et principium fuit. sed ut in uiam redeam, difficillimum est de u. 84 iudicium. ubi Iacobus cum codicum scripturam 'interius' recte inprobasset, aut 'inferius' aut 'ulterius' scribendum esse censuit, quorum alterum Hauptius amplexus est. at in uerbis ita restitutis 'quidquid et ulterius falsi sibi conscia terrent' et prorsus inusitate 'carmina' uel 'mendacia' subintellegenda sunt et mirifice haec 'falsi sibi conscia' dicuntur. itaque recte Munro unius uersus defectu statuto 'terret' reposuisse censendus est, cuius supplementum recepimus. restabat igitur ut absurdum illud 'interius' corrigeretur. quod nos ita fecimus ut uerborum proxime sequentium 'nec tu, terra, satis' rationem haberemus. nam apparet, iam antea terrae commemorationem factam esse oportere, cum alioquin uerba illa quo spectent non habeant. iam illud admodum dubium est, num '*falsi* sibi conscia' recte sit traditum. certe si locos tales respexeris, Orestis trag. 54 'et mens sibi conscia *prau*' et Anthol. lat. I, 1, 21, 241 'sed metus et facinus, sed mens est conscia *prau*' (ita enim hic uersus corrigendus est), quae omnia efficta sunt ad Uergilii imitationem [Aen. I, 609] 'et mens sibi conscia recti', facile nostrum quoque poëtam '*prau* sibi conscia' scripsisse suspicaberis. quam coniecturam quominus in textum reciperem, prohibuit locus quidam Anthologiae latinae [I, 1 c, 249, 2] 'sed malos faciunt malorum *falsa* contubernia'. ibi enim 'falsus' item pro 'prauus' poni

in propatulo est. omnino haud raro 'falsum' ei quod rectum et bonum est oppositum inuenimus. cf. Hor. ep. I, 10, 29 'uero distinguere falsum'. — denique u. 85 traditam lectionem 'nec tu, terra, satis', ut oratio paulo elegantius profluat, in 'sat es' mutauit. nam aegre 'es' uocula caremus. idem error apud Propertium reperitur [III, 18, 30], 'mi formosa satis, si modo saepe uenis', ubi iam Nic. Heinsius emendauit 'mi formosa sat es'.

V. In M. Annaei Senecae scriptis ad genuinum nitorem restituendis cum olim uiri docti plurimum operae collocarint, nostra aetate eius studium fere intermortuum iacet. cuius rei causas hic indagare nil attinet. sed sperare licet, scriptorem et ingenii acumine et eruditionis copia et stili elegantia aequae commendatum iterum lectorum multitudinem esse habiturum, quando opera eius innumeris quibus adhuc scatent uitiiis purgata erunt. talia autem etiam nunc apud illum extant quae legens uix oculis tuis credas. exemplo rem inlustrabo. in librorum de clementia primi capite 1, 4 haec habes: 'quotiens nullam inueneram misericordiae causam, mihi peperci'. uelim sciscitari ab omnibus qui Senecam ediderunt criticis, quidnam sit illud 'mihi peperci'. equidem haec me plane non concoquere ingenue profiteor. interim rescribo 'mihi **peperi**' (sc. misericordiae causam). et quoniam semel in egregios de clementia libros incidi, proferam quas olim mihi adnotauit in eos emendationes. c. 1, 5 'potes hoc, Caesar, audacter praedicare, omnia quae in fidem tutelam eri, nihil per te neque ui neque clamari reipublicae. rarissimam laudem' eqs. haec codicum scriptura corrupta uarie tentata est. ac de prioribus optime meruit Hauptius [ind. lect. acad. Berol. 1866 p. 5], qui scribit 'omnia a te in fideli tutela haberi', nisi quod 'a te' propterea displicet quod paulo longius a librorum memoria recedit. nihil autem pronomine opus est, quandoquidem statim sequitur 'per te'. reponendum erat 'aeque'. extrema uerba quam ratione possint sanari

Haasius perspexit, qui quod ad sententiam attinet recte suppleuit 'neque clam damni parari reip'. at ab externa probabilitate hoc non magis commendatur quam Hauptianum 'clam adimi reipublicae'. fuit, ni fallor, ita olim exaratum 'clāmali reip. parari rarissimum'. iam uidere licet quam facile 'parari' uox perire potuerit. porro ubi in illo 'clāmali' compendium neglectum esset, consequens fuit, ut librarius, quo uox saltem latina euaderet, suo Marte 'clamari' reponeret. totus ergo locus ita redintegrandus est: 'potes hoc, Caesar, audacter praedicare, omnia **aeque** in fideli tutela haberi, nihil per te neque ui neque clam **mali** reip. **parari**'.

c. 8, 2 'possum in qualibet parte urbis solus incedere sine timore, quamuis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius: tibi in tua pace armato uiuendum est'.

Verba 'in tua pace' quamquam defensorem nancita sunt grauissimum Gronouium, tamen corruptelam passa esse existimo. is enim uir doctissimus et de Seneca optime meritis ad Taciti ann. XII, 32 bene animaduertit, pacem interdum idem esse atque imperium; cf. de clem. I, 1 'haec tot millia gladiatorum quae pax mea comprimit'; ibid. 4, 2 'hic casus Romanae pacis exitium est'. hoc cum rectissime obseruatum sit, uideamus num quid bonae frugis inde ad loci nostri interpretationem lucremur. nanciscimur autem talem fere sententiam: ego quocunque uolo possum tutus incedere, tibi in imperio quod praestas pacatum armato uiuendum est. quaenam, quaeso, oppositio Senecae acumine digna his inest? adeo illud additum 'tibi in tua pace armato uiuendum est' languet, ut nihil sit supra. an reges, cum uel altissima pace procederent, non armatorum turba stipati erant? itaque illud librarios, Senecam hoc scripsisse aio: 'tibi in tua **arce** armato uiuendum est'. quid autem acerbius dici potest, quam tyrannum uel domi sua armis se defendere debere, cum humili loco nati quocunque inermes ire possint. 'arx' autem pro 'regia' poni notissimum est. maxima autem emendationi nostrae adminicula adstruunt ea quae §. 3 secuntur: 'sed cum

dis tibi communis ipsa [ista?] necessitas est. nam illos quoque caelum adligatos tenet nec magis illis descendere datum est quam tibi tutum. tu [addidi: om. codd.] fastigio tuo adfixus es: nostros motus pauci sentiunt'.

c. 11, 2: 'haec est in maxima potestate uerissima animi temperantia et humani generis comprehendit terminos, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum principum exemplis corruptum quantum in ciues suos liceat experiendo temptare, sed hebetare aciem imperii sui'.

'Incendi' uox, quam editores omnes tamquam unice rectam sicco pede transierunt, mihi haud paruos scrupulos mouit. nemo enim Romanus 'temeritate incendi' uel unquam dixit uel omnino dicere potuit. nam incendendi uocabulum, ut eius fert natura, translate cum eis tantum uerbis, quae animi quandam commotionem exprimunt, coniungitur, hoc est, cum eis animi adfectibus qui ut excitantur ita restinguuntur iterum sedanturque, uelut cum irae, doloris, amoris, desiderii uocibus; non potest coniungi cum temeritatis uocabulo quae mentis est uitium homini a natura insitum. praeterea illud uelim animaduertas, incendendi uerbum artius sequentibus fuisse subiungendum, uelut ita 'non temeritate *incensum*, non priorum principum exemplo *corruptum*' eqs. quippe Seneca non in uniuersum adserit, principem non cupidum esse uel temere agere debere, sed speciatim uarias causas quibus ad ciuium patientiam temptandam ille commoueri possit exponit. unde haud cunctanter rescripsi: 'non cupiditate aliqua, non temeritate **ingeni** . . . temptare'. fortasse ipsa sollemnis litterarum C et G commutatio corruptelae ansam dedit. certe idem error ex. gr. apud Florum II, 16 [p. 107, 8 l.] inuenitur: 'diuersa omnium uota ut ingenia', ubi liber Nazarianus item 'incendia' exhibet.

c. 19, 5 ' . . nullumque momentum immune a metu habeat, hanc aliquis agere uitam sustinet, cum liceat innoxium aliis ob hoc securum salutare potentiae ius laetis omnibus tractare'.

Minus duriter et impeditae haec ita profluent: 'innocentium aliis **ab** hoc (sc. metu) securum'; cf. Plin. 28, 9 'securus a metu somnus'.

In epistularum libri XV ep. 94, 41 legitur: 'nec tibi facile dixerim quemadmodum prosit, sicut illud intellegam, profuisse'.

Maculosa sunt utique illa 'sicut illud intellegam'. nam neque particula 'sicut' ullum hic locum habet, ubi res plane diuersa notatur, neque subiunctiuum modum 'intellegam' quisquam, puto, defendet. caue autem ne ueterum editionum auctoritatem secutus 'intellego' rescribas. ita et partem tantummodo uitii tolles et medelam minime ab arte commendabilem adhibebis. corrigendum est: 'nec tibi facile dixerim quemadmodum prosit, **cum** illud intellegam, profuisse'. uides, credo, ita et a sententia recte procedere orationem et artis palaeographicae habitam esse rationem sat iustam. nam habemus id uitium hic quoque obuium, quo nullum in epistulis deprehenditur frequentius, dico dittographiam. nam cum in archetypo scriptum esset 'prosit *sitcū*', id non potuit non emendari a correctore male sedulo in 'prosit sicut'.

Epist. 95, 8 haec extant de sapientia: 'discutit enim impedimenta et tractat obstantia'.

Post forte illud 'discutit' tractandi uerbum, praeterquam quod iusta explicatione caret, mirum quantum languet, ut librorum uitium subesse nullus equidem dubitem. atque iam Bartschius, qui nuper edita in noui Musei Rhenani uol. XXIV dissertatione bonae frugis plena egregie de Seneca meruit, hanc uocem l. l. p. 281 suspectauit. quamquam id quod scribi uult 'traicit' mihi quidem uir sagacissimus non probauit. paulo leniore medela restituendum est 'et tranat obstantia'. uoce 'tranare', quae Senecae poeticum genus dicendi magnopere adamantis stilo apprime adcommodata est, item translate eademque significatione, puta superandi, usus est coaeuus Senecae Silius Italicus [XVII, 366]: '*tranare pericla* magnanimum patiari ducem'. cf. etiam Seneca epist. 52, 7 '*imus* per obstantia'.

Ibid. 35: 'si uolumus habere obligatos et malis quibus iam tenentur auellere, discant quid malum, quid bonum sit'.

Omnes fere critici uerba 'si uolumus habere obligatos' ita accepisse uidentur, ut sit 'si uolumus nobis beneficiis obstrictos et gratos reddere'. quae interpretatio quantopere huc non quadret, unus perspexit Muretus. qui cum coniceret 'si uolumus *soluere* obligatos', quid fere sententia desideret optime indicauit. nam nullo negotio ad 'obligatos' uocem subaudimus 'malis'; cf. ex. gr. ep. 94, 31 'quid illum admonitiones iuuabunt uitiosis obligatum'. at idem, cum 'soluere' pro 'habere' restitueret, iusto maiora molitus est. nam nulla paene mutatione emendandum est: 'si ~~nolumus~~ habere obligatos, ~~set~~ malis quibus iam tenentur auellere, discant' eqs. de hoc dicendi genere accuratissime nuper Buechelerus ad Quinti Ciceronis de petit. consul. §. 56, p. 62, 9, exposuit.

Epist. 99, 10: 'propone temporis profundi uastitatem et uniuersum complectere. deinde hoc, quod aetatem uocamus humanam, compara inmenso: uidebis quam exiguum sit, quod optamus, quod extendimus. ex hoc quantum lacrimae, quantum sollicitudines occupant? quantum mors, antequam ueniat, optata? quantum ualetudo, quantum timor, quantum tenent aut rudes aut inutiles anni? dimidium ex hoc edormitur. adice labores, luctus, pericula: et intelleges etiam in longissima uita minimum esse quod uiuitur'.

Uariis mendis haec deformata sunt. primum autem illa 'quantum mors antequam ueniat optata' et isto loco prorsus absurde se habent et Senecae sententiae plane repugnant, quam ib. §. 9 idem declarauit: 'et in tanta uolutione rerum humanarum nihil cuiquam nisi mors certum est: *tamen de eo queruntur omnes*, in quo uno nemo decipitur'. itaque meo iure in uerbis istis putidam sapientiam monachi nescio cuius agnouisse mihi uideor. his uero remotis iam paulo facilius de eis quae secuntur potest statui. nempe praua sunt 'quantum tenent aut rudes aut inutiles anni'. et rudes quidem anni semper, quantum equidem obseruau,

ei dicuntur quibus puerorum ingenia inculta in scholis perpoliuntur; inutiles uero annos adulescentulorum existuma, quibus, ut ille apud Terentium ait, 'animum ad aliquod studium adiungunt, aut equos alere aut canes ad uenandum, aut ad philosophos'. haec si recte disputata sunt, iam illud permirum est, eos Senecam praeteriisse annos quibus uel maxime homo otiosus est, puta infantiles. unde conieci: 'quantum ualitudo, quantum timor, quantum teneri aut rudes aut inutiles anni?' ad quae facili negotio, resecto praesertim isto panno, subaudimus 'occupant'. iam uero pulchro ascensu usus Seneca primum infantium, deinde puerorum, postremo adulescentium facit commemorationem. denique non carent corruptione illa 'adice labores, luctus, pericula'. quid enim, amabo, inter labores et pericula sibi luctus uolunt, cum praesertim de eis iam supra sit dictum 'quantum lacrimae, quantum sollicitudines occupant'? recta autem gradatione oratio progredietur ita 'adice labores, luctatus, pericula'.

Epist. 100, 8 'non habet oratio eius (Fabiani), sed debet dignitatem'.

Hanc prauam codicum lectionem Haasius corrigere sibi uidebatur scribendo 'sed decet dignitatem'. at cum dignitatem Fabiano omnino non abrogauerit Seneca, iam olim conieci intercidisse in priore membro uocabulum cui opponatur dignitas. cuius opinionis gaudeo nunc me Bartschium habere socium. qui cum l. l. p. 283 pro 'debet' indubitata emendatione reponeret 'habet', lacunam tamen illam quomodo expleret se nescire ingenue confessus est. mihi sic Seneca scripsisse uidetur: 'non habet **gratiam** oratio eius, sed **habet** dignitatem'. et reuera gratiam Fabiani uerbis defuisse cum ex tota epistula elucet, tum uerba proxime antecedentia ostendunt: 'sed totum corpus uideris [an 'uide, sis' ?]: quamuis incomptum, honestum est'. ita enim Haasius certissima emendatione rescripsit. quam facile autem GRATIĀ ante ORATIO interciderit, quiuis perspicit. nam nullum uitium saepius in Senecae scriptis inuenitur quam litterarum uoca-

bulorumue uel eorundem uel inter se similibus omissio. cuius rei pauca libet subiungere exempla. epist. 31, 2: 'sed ex omni parte circumsonat'. scribe 'parte **te** circumsonat'. ibid. §. 6: 'ille prudens atque artifex pro tempore quaeque repellat aut eliget'. emenda: '**aeque** atque artifex'. ep. 34, 2: 'addidi stimulos nec lente ire passus sum'. lege: 'nec lente **te** ire'. ep. 89, 22: 'quantulum ex istis epulis [quae] per tot comparatis manus fesso uoluptatibus ore libatis?' Haasius 'quae' uoculam deleri uoluit. ego locum utpote mancum sic explendum censeo: 'ex istis epulis **ferculisque**'. ep. 90, 14: 'fregit protinus exemptum e perula calicem hac obiurgatione sui'. puto 'calicem **cum** hac obiurgatione sui'. ep. 99, 20: 'nec cessant nec fluunt unquam tam turpiter quam finguntur'. corrige: 'quam **si** finguntur'. sed haec hactenus.

Epist. 100, 9: 'cedam et respondeamus: in re tanta eminere est post duos esse'.

Iure suo Bartschius l. l. p. 284 pluralem numerum 'respondeamus' post singularem 'cedam' tolerari posse negat. scripsit igitur 'cedam et respondeam: in re tanta'. sed unde, quaeso, mirum illud 'us' accessit? itaque proferam quod ego olim in margine exemplaris mei adnotaui: 'cedam et respondeam: **ut** in re tanta'. de 'ut' particula cf. interpretes ad Taciti dialog. 1. med. 'disertissimorum ut nostris temporibus hominum'.

Index scriptorum tentatorum:

Aetna	p. 36—40.
Anthologia latina	p. 13. 31—35. 39.
Capitolinus	p. 29.
Calpurnius	p. 35—36.
Florus, Annius	p. 19—22.
Florus, Iulius	p. 5—19.
Horatius	p. 18.
Minucius Felix	p. 22—31.
Seneca	p. 29. 37. 40—46.
Suetonius	p. 22.
Uergilius	

Aemilius Baehrens de vita sua.

Natus sum Coloniae Agrippinae a. d. VIII. Kal. Oct. a. h. s. XLVIII patre Aemilio, matre Maria e gente Hagen. et patrem quidem postquam duorum annorum puerulus amisi, eius in locum successit Gust. Ad. Hesse, med. dr., uir plane egregius, et de me educando atque ad humanitatem perducendo optime meritus. Mater uero dilectissima quod, cum iam per sex menses huius academiae essem ciuis, acerbissimo fato mihi est erepta, nunquam desinam dolere. Fidem profiteor euangelicam. Litterarum elementis imbutus patriae meae gymnasium adii quod a Friderico Guilhelmo Tertio conditore accepit nomen. Ubi ut philologiae studia adamarem, cum Francisci Weinkauffi, tum Andreae Weidneri eximia factum est disciplina. Uere anni LXVII maturitatis testimonio instructus hanc almam matrem Rhenanam adii antiquis litteris operam daturus. Ubi per septies sex menses inde elapsos scholis interfui Bernhardti, Bernaysii, Buecheleri, Heimsoethii, Iahnii, Kleinii, Luc. Muellerei, Reiferscheidii, Ritteri, Springeri, Useneri. Praeterea interfui exercitationibus metricis et palaeographicis Luc. Muellerei, cui uiro, cum semper et summa liberalitate bibliothecae suae opibus pro meis me uti permiserit et animo libentissimo studia mea consilio atque admonitione adiuuerit, uix possum equidem uerbis effari quantum in litteris debeam. O Iahnii et H. Useneri benignitate in seminarium philologicum receptus sum, cuius per annum sodalis ordinarius et per sex menses senior fui. Ut omnibus autem praeceptoribus meis gratias ago quam maximas, ita cum Ottonis Iahnii immatura nuper morte litteris erepti tum uero Luciani Muellerei et Hermanni Useneri memoria semper pio gratoque animo mihi colenda erit.



Sententiae controuersae.

- I. Apud Horatium od. I, 37, 23 legendum est 'nec latentes classe cita properauit ['reparauit' codd.] oras.'
- II. Taciti dialogus non potest non scriptus esse ante Domitiani imperium.
- III. Staius siluar. IV, 4, 83 ita corrigendus est 'proauit aque tuto ['toto' codd.] rura abiisse mari'.
- IV. In Sophoclis Aiace uu. 1310—1313 eiecto foedissimo emblemate restituendi sunt:
- ἐπεὶ καλὸν μοι τοῦδ' ὑπερπονουμένῳ
θανεῖν προδίλως, ὡς δμαίμονος, λέγω.*
- V. D. Laberii ex Staminariis fragmentum [comic. latin. fragm. ed. O. Ribbeck p. 249] hoc modo emenda: 'tollat bona fide uos c o r u s ['Orcus' uulgo] nudas in Catonium'.
- VI. Apud Phaedrum I. epil., 15 legendum propono: 'sin autem rabulis ['ab illis' codd.] doctus occurrit labor'.
-